

ligitur ex capite, nuper, de sentent. Excom. Quia vero ad ejusmodi interdictum tollendum necessaria est jurisdictione in foro externo, tolli non potest ab eo, qui talem jurisdictionem non habet. Cum igitur Jurisdiclio Mendicantium versetur circa objecta fori Penitentiarum, cujus objectum non est locus, vel integra communitas, sed singulares personae, ideo Mendicantes ab interdicto locali, & personali, generali absolvi non possunt. Particulare interdictum personale, si non sit reservatum, uti excommunicatio non reservata, potest tolli per Confessarium, qui potest absolvere a mortalibus juxta Suarez disp. 38. sect. 2. num. 9. & alios. Quid autem Regulares Mendicantes possint circa absolutionem hujus interdicti, colligi potest ex dictis de absolutione ab excommunicatione, & suspensionibus: circa ista enim equalis est eorum potestas, ut ex tenore privilegiorum constat. Herincx citat. nu. 103. Forma absolutionis ab interdicto consueta haec est: Ego te absolvo a vinculo Interdicti, quod incurristi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

SECTIO IV.

De Irregularitate, & ceteris Pœnis Ecclesiasticis.

Haec de Censuris Ecclesiasticis tractavimus, tam in generali, quam in speciali; nunc de Irregularitate, & ceteris pœnis Canonicis agendum est. Sit itaque in nomine Domini.

QUESTIO I.

De Irregularitatis Essentia, Divisione, Causa, & Subjecto.

SUMMARIUM.

- 153 Quid sit Irregularitas quoad nomen, & quoad rem?
- 154 Quales effectus habeat Irregularitas?
- 155 Irregularitas est duplex: ex defectu, & ex delicto, item Totalis, & Partialis.
- 156 Causae, ob quas fertur, & incurritur Irregularitas, enumerantur.
- 157 Subjectum Irregularitatis est omnis Homo capax Ordinis, & subditus Juri communi.
- 158 An ignorantia invincibilis excuset ab incurrenda Irregularitate? Item an dubitans, num commiserit aliquid ex criminibus, quibus annexa est Irregularitas, debeat se habere pro Irregulari? Remissive.

ASSERTIO I.

152 Irregularitas est inhabilitas Jure Canonico introducta, directè impediens Ordinum susceptionem, & usum susceptorum: Est duplex; Alia ex defectu, alia ex delicto. Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur peccatum mortale, externum, & consummatum. Subjectum Irregularitatis est omnis Homo capax Ordinis, & subditus juri communi. Ita Doctor Noter Subtilis 4. dist. 25. q. 2. Mastrius Theol. Moral. disp. 13. q. 6. art. 1. Layman lib. 1. tr. 5. par. 5. c. 1. & communis.

S. I. Irregularitatis Essentia, & Effectus.

153 Irregularitas est nomen abstractum ab hoc crimine concreto: irregulare, quod significat extra Regulam, sicut Regulare significat secundum Regulam. Quoad rem irregularitas est I. Inhabilitas, seu impedimentum Canonicum impediens aliquem à susceptione Ordinum, & usum susceptorum. Hinc Irregularitas non necessariò presupponit delictum, nec infligitur per modum medicinæ, ut Censura, sed ob reverentiam Divini Ministerii, & ad evitandam in eo indecentiam; sicut enim in Lege veteri, ut habetur Levitici 21. & refert Sotus 3. d. 13. quest. 2. §. primo videndum apud Mastrium citat. aliqui ob quoddam defectum ad evitandam indecentiam, ad ministeria Altaris, & Templi non admittentur; sic in Lege nova aliqui fideles ob aliquos defectus inhabiles censentur ad susceptionem Ordinum, vel ad executionem actuum Ordinum. Quare licet Irregularitas quandoque contrahatur ex delicto, proprie tamen pœna non est, quia non fertur in punitionem delicti, sed ad evitandam indecentiam, quæ esset in eo quoddam Persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut jam susceptos exerceat, ut communitur advertunt DD. dicitur II. Jure Canonico introducta; quia nulla Irregularitas est de Jure naturali, aut Divino, ut nullibi apparet: unde Irregularitas numquam incurritur ob aliquod crimen, vel defectum naturalem, nisi sit in Jure expressa, juxta capit. 15. qui de

sent. excomm. in 6. & quidem Irregularitas est introducta Jure Canonico Pontificio, & scripto; nam iuxta receptam DD. sententiam Irregularitas non infligitur ab homine, sed solum à Jure Canonico, & consequenter solus Summus Pontifex, qui est conditor Canonum, potest imponere Irregularitatem ex cap. 15, qui cit. unde nullus Episcopus Papa inferior umquam legitur tulisse Irregularitatem. Ex quo etiam sequitur, nec foeminas, neque non baptizatos esse proprie Irregulares; quia eorum incapacitas suscipiendi Ordines non est à Jure Canonico introducta, sed oritur immediate ex ipsa natura, & institutione Sacramenti Ordinis, cui essentialis est, quod in validè conferatur foeminis, aut non baptizatis. Dicitur III. directè impediens (non invalidans, secundum omnes) susceptionem Ordinum, & usum susceptorum: ubi per Ordines juxta receptam, & à Rota decisam (apud Herincx disp. 6. q. 7. de Irregularitate, n. 114.) sententiam, comprehenditur hic etiam prima tonsura, quæ licet juxta Theologos non sit strictè Ordo, tamen in Jure Canonico intelligitur nomine Ordinis, capit. cum contingat de aetate, qualitate, & Ordine inc. per has particulas ulterius differt ab excommunicatione, suspensione, & interdicto; quia excommunicatio impedit promoveri ad Ordines, & jam promotum in illis ministrare, in quantum hæc est communicatio cum fidelibus; suspensio vero facit, in quantum Ordo est officium Ecclesiasticum; interdictum hoc facit, in quantum Ordo est bonum à fidelibus possidendum; Irregularitas autem hoc præstat directè, in quantum est Ordo Ecclesiasticus. Taceo alias differentias jam supra tactas, quia Irregularitas non est censura, cum non sit pœna medicinalis, sed purè vindicativa &c. Qualiter Irregularitas differat à Depositione, degradatione, &c. videbitur infra in quaestione quarta hujus sectionis. Ex hac Irregularitatis definitione.

Sequitur I. Irregularitatis primum, & præcipuum effectum esse, impedire Ordinum susceptionem, & susceptorum usum, ex cap. curandum dist. 34. cap. si cuius uxorem dist. 34. & ex cap. significasti 16. de homicidio; non tamen Irregularitas ita impedit, ut si Ordo ab irregulari suscipiatur, sit nullus, & invalidus, sed est validus, ut DD. communiter docent; quia Ecclesia, à qua Irregularitas est instituta, Sacramentorum valorem impedire nequit, si omnia à Christo instituta, & requisita adhibeantur. Hinc Irregularis, licet valide suscipiat Ordines, & eosdem exerceat, non tamen licitè, sed mortaliter peccat, ut Scotus docet in 4. d. 13. qu. 1. ex cap. si celebrat, de Clerico excomm. Ministr. & ratio est: quia transgreditur prohibitionem Ecclesiæ in re gravi; non tamen Irregularis suscipiens Ordines, vel in susceptis ministrans, novam incurrit Irregularitatem, ut DD. communiter tenent apud Mastrium cit. num. 129. Sequitur II. Irregularitatem probabiliter non reddere ipso facto, Beneficii, vel pensionis collationem factam irregulari in validam. Ita Herincx cit. nu. 116. citans varios; quia nullo jure sufficienter probatur talem collationem esse invalidam, etsi sit illicita. Nec Irregularitas superveniens, ipso facto privat Beneficio jam obtento; quod colligitur ex variis capitulis Juris, requiruntibus Officium Judicis, ad beneficiorum privationem, c. Clerici, ne Clerici, vel Monachi cap. fraternitati, de Clerico Excommunicato, & alii. Nec aliquid circa hoc innovavit Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. de Reform. decernens, ut homicida voluntarius omni Ordine, Beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat; intelligit, accommodando verba iuxta ipsarum rerum naturam, ut scilicet careantia Ordinis seu Irregularitas incurrat ipso jure; privatio vero Beneficii acquiritur incurrat per sententiam. Herincx cit. sequitur III. Irregularem non esse incapacem jurisdictionis Ecclesiasticæ retinendæ, imò etiam obtinendæ, si sit fermo de ordinaria, si de delegata; cum ipso jure non excidat Beneficium obtentis, nec fiat incapax ad ea recipienda. Herincx cit. n. 117. Quare Irregularis potest etiam licitè exercere actus jurisdictionis, qui non requirunt exercitium Ordinis, v. gr. delegare alteri facultatem absolvendi. Imò satis certum est (ait Herincx cit. num. 118.) irregularem posse validè sacramentaliter absolvere, si saltem non sit nominatim denunciatus; si verò sit denunciatus, adhuc probabiliter validè absolvit, juxta Suarez disp. 40. sect. 2. nu. 45. & alios; eo quod Irregularitas nullo jure irritet actus jurisdictionis, ut nec aufert ipsam jurisdictionem. Aliunde tamen confessio potest esse invalida, defectu scilicet dispositionis penitentis, si scilicet ab irregulari denunciato (cui communicare nequit in actibus, seu functionibus ei veteris) petat absolutionem, quæ est functio irregulari prohibita. Ita Herincx cit. n. 118.

S. II. Irregularitas ex Defectu, & ex Delicto.

155 Irregularitas non aliter dividitur, & multiplicatur, quam ex causa, ob quam fertur; unde altera est, quæ contrahitur ex Defectu, altera non ex Delicto, sed ex aliquo defectu. Ratio hujus divisionis est; quia, ut Caspensis apud Mastrium cit. num. 130. advertit, cum omnis Irregularitas præcisè propter indecentiam contrahatur in Jure signatam; hæc autem indecentia possit oriri ex defectu tantum sine peccato, & etiam ex peccato; ideo Irregularitas dividitur in eam, quæ est ex defectu tantum, & in eam, quæ est ex peccato, siue delicto. Propterea dividitur Irregularitas in Totalem, & Partialem. Totalis est, quæ omne Ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat, ut Irregularitas ex homicidio, v. g. Partialis est, quæ non impedit omnem exercitium ordinum, sed tantum aliquo Ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad Superiorem, ut fit in sacerdote, qui sine sua culpa pollicem perdidit, qui excepta celebratione, potest alia sacerdotalia munera obire, ut Confessiones audire &c. & in Diacono, qui sinistro oculo carens inhabilis est ad sacerdotem, in suo tamen Ordine ministrare potest. Communitur Irregularitas absolutè, & simpliciter posita supponit pro totali, nisi aliud ex circumstantiis, & subjecta materia colligitur. Hic foret proprius locus explicandi Irregularitates ex delicto, & ex defectu, in specie infima; sed quia id jam præstitit P. Patritius Sporer Theol. Sacr. part. 1. cap. 5. sect. 4. n. 77. & seqq. ideo ad eundem remittimus Lectorem.

S. III. Causa, ob quam fertur Irregularitas

156 Subinde est defectus naturalis, v. g. defectus ætatis, corporis, animæ &c. subinde moralis, verb. gr. defectus perfectæ lenitatis, famæ &c. Subinde est actus proprius licitus, v. g. sententia mortis in aliquem lata à Judice; subinde est actus illicitus v. g. Homicidium injustum &c. Itaque conveniunt Doctores ad incurrendam Irregularitatem ex actu proprio licito, vel illicito, requiri actum Externum: quia propter actum merè internum Irregularitas namquam contrahitur; non enim quis ex solo proposito occidendi incurrit Irregularitatem; cum actus merè interni non sint materia potestatis Legislativæ humanæ ex alibi dictis; quinimò nec eam contrahit, si actus externus non sit Consummatus; unde si quis sagittam in hostem projiciat, ut eum occidat; si eum non interficiat, aut mutilat, non erit Irregularis. Ratio est: quia odia sunt restringenda, Reg. 15. Juris in 6. Ergo lex continens Irregularitatem restringenda est ad actum consummatum, nisi aliter lex exprimat. Denique quando Irregularitas incurritur propter actum illicitum, seu ex delicto, requiritur necessariò peccatum mortale secundum communem, & probabiliorum apud Mastrium citat. num. 130. Ratio est: quia Irregularitas ex delicto præsertim contracta est maxima pœna: ergo non imponitur, vel incurritur, nisi ex delicto gravi; quod etiam Scotus 4. dist. 13. quest. 2. notavit. Quare si actus illicitus excusetur à peccato mortali, vel propter defectum advertentiæ, vel propter levitatem materiæ, nunquam incurritur Irregularitas de facto ex delicto. Notanter autem diximus, ad Irregularitatem ex delicto incurrendam requiri culpam mortalem; nam ad incurrendam Irregularitatem ex defectu nulla culpa est necessaria, ut patet ex multis Irregularitatibus, quæ ex solo defectu contrahuntur. Ita Navarrus, Suarez, Sanchez, Henriquez, Hurtadus, Coninch Filiucius, Reginaldus, Faber, & alii passim, apud Mastrium citat.

S. IV. Subjectum Irregularitatis

157 Est omnis Homo capax Ordinis, & subditus Juri communi. Mastrius cit. num. 132. Ratio est: quia Irregularitas est quædam privatio, seu impedimentum ad recipiendos Ordines, & eos jam susceptos exercendos; privatio autem supponit subjectum capax formæ, cujus est privatio: quæ capacitas solum reperitur in homine masculo baptizato, & subdito Juri communi, quæ ultima particula additur ad excipiendum Summum Pontificem, qui Irregularitatem contrahere nequit; quia quovis sit subjectus Juri suo quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, ut suo loco dictum est. Ex quo sequitur omnes homines masculos, baptizatos, siue Laicos, siue Clericos, etiam Episcopos, & Cardinales ligari posse Irregularitatibus in Jure expressis; non baptizati autem, & foeminae proprie loquendo Irregulares dici non possunt; quia non habent capacitatem ad Ordines quorum susceptione, & usu privat Irregularitas. Supplem. Theol. Decalog.

Ita DD. communiter. Quando autem Scotus 4. d. 33. q. 2. videtur docere, Bigamum etiam ante baptismum esse irregularem; explicat ipsum nosse Faber apud Mastrium cit. quod Bigamus ante baptismum sit Irregularis fundamentaliter, hoc est, habeat defectum, propter quem post acceptum Baptismum fiet formaliter Irregularis. Idem dicendum de mutilato ante Baptismum &c. Porro impuberem completo septennio capax peccati mortalis posse incurtere Irregularitatem, docet apud La Croix lib. 7. numer. 446. Dicitur illud, & alii; non tamen ante septennium completum, etsi malitia suppleat ætatem, juxta Henriquez, Avilam, Dicastillum, Delbene, & alios. Vide dicta capit. 1. sect. 3. quest. 4. numer. 241. imò multi cum Castro-Palao tract. 3. d. 1. part. 2. §. 2. probabiliter excusant omnes ante pubertatem ab omnibus pœnis, excepta pœna percussiois Clerici. Ita inquit La Croix cit. Vide etiam P. Patritium Sporer tr. 5. in 5. Præcept. Decalogi, cap. 3. n. 67.

Potes? An ignorantia invincibilis excuset ab incurrenda Irregularitate? Resp. I. Quia juxta dicta §. præcedenti ad incurrendam Irregularitatem ex delicto, requiritur peccatum mortale, ideo omnia, quæ excusant opus delicti à culpa mortali, excusant etiam delinquentem ab Irregularitate ob illud delictum lata. Ita Hurtadus, Avila, Coninch, Bonacina, & alii apud Mastrium cit. nu. 142. Qui idem asserendum dicunt de metu mortis, aut infamæ, vel alterius gravis nocuenti, quod nimirum excuset ab Irregularitate annexa operi prohibito Jure tantum humano; quia tunc metus cufusque nocuenti gravis, opus excusat à culpa saltem mortali. Resp. II. Ab Irregularitate ex defectu incurrenda nulla excusat ignorantia, ut apud omnes in confesso est. An verò Irregularitas ex delicto incurrat ab illo, qui committit delictum, sed invincibiliter ignorat, Irregularitatem esse annexam tali delicto? Affirmant probabiliter Felinus, Suarez, Azorius, Vvex, & certum esse dicit Cardenas apud La Croix lib. 7. n. 482. Ratio est I. quia Irregularitas non est proprie pœna, aut saltem non est medicinalis, requirens scientiam, vel contumaciam, uti censura, sed est quædam inhabilitas annexa à Jure propter indecentiam, ut committens tale delictum inferviat altaris Ministerio; sed inhabilitas contrahitur etiam ab ignorantibus Legem Ecclesiasticam, quæ statuit talem inhabilitatem, ut patet in Irregularitatibus ex defectu: ergo II. Impedimenta Matrimonii à Jure statuta v. g. affinitatis ex copula illicita: Impedimentum criminis &c. incuruntur etiam ab eo, qui ignorat esse annexa tali crimini, quia sunt inhabilitates, licet habeant aliquam rationem pœnæ: ergo idem dicendum de Irregularitate Negant verò Abbas, Navarrus, Reginaldus, Portel, Sanchez apud La Croix cit. quorum sententiam Castro-Palao, Diana, & Dicastillum agnoscent esse probabiliter, quia qui nescit Censuram esse delicto suo annexam, non incurrit illam juxta supradicta hoc cap. sect. 1. nu. 37. ergo similiter hic. Vide P. Patritium Sporer Theol. Sacr. p. 1. cap. 5. sect. 4. n. 79. ubi etiam resolvit illam quaestionem, an aliquis dubitans, num admisit aliquid ex iis criminibus, quibus annexa est Irregularitas, se debeat habere pro Irregulari? quem lege. Plura de his habet etiam tract. 2. Proem. cap. 1. sect. 4. num. 96. & seqq. Item c. 2. sect. 4. n. 38. & seqq.

QUESTIO II.

Quot, & quibus modis tollatur Irregularitas.

SUMMARIUM.

- 159 Irregularitas tollitur quatuor modis, & quidem primò per Baptismum;
- 160 Secundò Irregularitas ex defectu natalium tollitur per Professionem Religiosam;
- 161 Tertio tollitur Irregularitas ex defectu proveniens ablatione seu remotione causæ, & Dispensatione legitima.
- 162 Quartò tollitur Irregularitas per Dispensationem legitimam.

ASSERTIO II.

159 Irregularitas quatuor modis tolli potest, nimirum susceptione Baptismi, Professione Religiosa, ablatione seu remotione causæ, & Dispensatione legitima. Communissima apud Mastrium cit. nu. 181.

S. I. Irregularitas tollitur susceptione Baptismi.

160 Per Baptismum itaque tollitur quævis Irregularitas ex delicto proveniens, vel proprie loquendo per baptismum



fit, ut Baptizatus nullam incurrat irregularitatem, ratione delictorum, quæ ante baptismum commisit; siquidem proprie loquendo per baptismum nulla tollitur irregularitas; quia ante baptismum nulla incurritur, ut dictum præc. quæst. Per nulla igitur peccata ante baptismum commissis fit quis irregularis, baptismum recipiens; quare nec homicidium ante baptismum commissum, neque sententia sanguinis, secuta morte, lata ante baptismum, facit hominem irregularem, si baptismum recipiat; quia talis irregularitas in Jure non habetur. E contra verò per baptismum non tollitur irregularitas, quæ oritur ex defectu, si post baptismum idem defectus remaneat. Hinc Bigamia ante baptismum contracta etiam post baptismum irregularitatem inducit; quia remanet defectus Sacramenti, seu significationis, hoc est, quia Bigamus nequit repræsentare Christum, tamquam unicum Sponsum unius Ecclesiæ, etiam si baptizetur: ergo etiam post baptismum erit irregularis. Aliud est de homicida; quia talis est irregularis ob horrorem sanguinis effusi; iste autem horror tollitur per baptismum; cum per hunc ex lupo fiat agnus; sicut & Paulus ante baptismum persecutor, post baptismum factus est Ovis, & Pastor, & consequenter homicida ante baptismum, non erit irregularis post hunc susceptum. Ita Doctor noster Subtilis in 4. dist. 2. q. 1. & d. 33. qu. 2. apud Matrium cit. q. 5. n. 1. 79. & 181.

S. II. Professione Religiosa

161 Tollitur Irregularitas ex defectu natalium proveniens, sed quoad Ordines tantum, non quoad Prælaturas, ex cap. 1. de filiis Presbyterorum. Ita Bonacina, Layman, Suarez, Sanchez, Lessius, Herincx disp. 5. qu. 7. §. 12. n. 176. Quamvis etiam in Ordine ad Prælaturas dispensare possit Generalis, aut Provincialis, in Capitulo Generali, aut Provinciali respectivè, aut in Capitulo Intermedio, & non aliàs juxta tenorem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit: Circumspectæ, ad quam se referunt Nostri statuta Generalia c. 2. §. 3. quæ conformiter loquuntur. Ita Herincx cit. Kerckhove in statuta nostra Generalia c. 7. §. 2. n. 1. & seqq.

S. III. Ablatione, seu Remotione Cause.

162 Tollitur Irregularitas ex defectu natalium proveniens. Sic irregularitas ex defectu libertatis, cessat obtenta libertate; Irregularitas ob rationes non redditas, cessat solutis debitis, vel redditis rationibus; Irregularitas ex defectu ætatis tollitur per adventum legitimæ ætatis; Irregularitas ex infamia facti per emendationem Vitæ, Irregularitas ex ignorantia per acquisitam scientiam; Irregularitas ex lepra, vel cæcitate, per sanationem lepræ, vel restitutionem visus utitur per Miraculum; Irregularitas obsessi à Dæmone, si Dæmon expellatur. Suarez, Filliucius, & communis apud La Croix lib. 7. num. 462. Talis est etiam Irregularitas ex conjugio, cessante Matrimonio: item ex Militia secluso homicidio, vel mutilatione, si militia cessat; Irregularitas, quam habent Curiales Justitiæ, imò & Judices in criminalibus, si nunquam cooperati sint in causa sanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis, quando Officium illud deponunt, cessat, uti recte cum communi Suarez disp. 47. sect. 4. num. 2. Quod si quis in Bello etiam justo fecisset homicidium, vel mutilationem, aut si Judex, vel alius in effectu cooperatus fuisset causæ effusi sanguinis, contraxisset irregularitatem ex defectu lenitatis, quæ indigeret aliquando dispensatione, uti cum Aliis Dicastillo num. 1071. & La Croix cit.

S. IV. Dispensatione legitima

163 Tollitur denique irregularitas, & non per absolutionem, cum non sit Censura. Forma dispensationis est hæc: Ego dispenso tecum in Irregularitate, quam, vel quas ob hanc, vel illam causam incurristi, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Et quidem si dispensans intendat tollere omnes, idque possit, omnes tollit; si minus, eam tantum tollit, quam potest, & vult. Hinc si subditus habeat plures irregularitates, debet de omnibus informare dispensantem. Requiritur etiam omnino, ut dispensaturus in irregularitate particulari, sciat in particulari de illa, & circumstantiis delicti ac Personæ: hæc enim multum faciunt. Deinde dispensans potest delegata in irregularitate, ut licite, ac etiam valide dispenset, debet ex legitima causa dispensare. Ratio est: quia inferior in Lege Superioris, nec valide dispensare potest absque iusta causa, ut supra diximus de Legibus. Aliud est de dispensante potestate ordinaria quoad valorem: De-

nique dispensans in irregularitate debet semper imponere condignam Pœnitentiam, ut patet ex praxi Ecclesiæ, & Bullis Pontificum, ac Decretis Rotæ, in quibus semper jubetur imponi debita pœnitentia illis, cum quibus dispensatur. Ita Portel. in dubiis Regularibus V. irregularitas num. 57. & tom. 1. Responsum Moralium parte 1. casu 2. n. 4. probans id ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. concedente Episcopis, ut dispensent irregularitatibus; imposita pœnitentia salutari. Ex quo etiam ibidem prop. finem colligit, quod confessarius Regularis, qui per concessionem S. Pii V. de licentia sui Provincialis dispensat cum conjugibus; qui haberunt copulam carnalem perfectam cum conjugine alterius conjugis intra secundum gradum, ad petendum debitum conjugale, debeat illis imponere Pœnitentiam particularem; quia dispensat in pœna, vel impedimento ortu ex delicto: si dicas: Prælati Regulares in Capitulis dispensant cum subditis in Generali in Irregularitatibus, & quidem valide, & tamen ibi non imponitur Pœnitentia. Resp. cum Portel. in dubiis Regularibus citat. n. 38. Primò, ibi non esse possibile imponi Pœnitentiam, quia ignoratur reus. Secundò, aliquam ibi imponi, cum Religiosi genuflectant, culpas agnoscunt &c. quæ protunc acceptat Ecclesiæ, utens quali particulari libertate, & magnificentia, & concedunt Pontifices, ut Prælati Regulares faciant sic pro Bono communi, & quiete Religiosorum: quod commune Bonum, & Religiosorum quietem tunc iudicant sufficientem causam illius Generalis dispensationis.

QUESTIO III.

Quis possit in Irregularitate Dispensare?

SUMMARIUM.

- 165 Papa potest in omni Irregularitate dispensare, ac etiam Episcopi in aliquibus;
166 Excepto specialiter homicidio voluntario.
167 In quibus Irregularitatibus Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis?
168 Quid oporteat dispensatio in irregularitatibus facta in Capitulo Visitationis, vel Provinciali?
169 An Confessarii Conventus possunt dispensare in irregularitatibus?
170 An Regulares Mendicantes possunt cum Sæcularibus dispensare in irregularitatibus?

ASSERTIO III.

Summus Pontifex potest in omnibus irregularitatibus Jure Ordinario dispensare: Episcopi etiam possunt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare cum suis subditis. Idem possunt Prælati Regulares Mendicantes respectu suorum subditorum, ac etiam Confessarii Regulares Mendicantes respectu Sæcularium. Ita Doctores Regulares citandi.

S. I. Papa, Episcopi.

In omni irregularitate Jure Ordinario posse dispensare, solum Summum Pontificem, certum est apud P. Patrium Sporer tractatu 5. in 5. Præcept. Decalogi capit. 3. num. 237. & seqq. quem vide. Similiter Episcopi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum cum suis subditis dispensare possent, certum est ex Concilio Tridentino sessio. 24. capit. 6. ita dicente; Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diocesi sua, per seipsum, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in Hæresis crimine, in eodem foro conscientie, eis tantum, non eorum Vicariis, sit permittitur. Ita Trid. cit. de quo vide etiam P. Patrium Sporer cit. num. 239. & seqq. Ex quo sequitur I. Episcopum posse in prædictis irregularitatibus dispensare, etiam pro foro externo, etiam si existat extra suam Dioccesim, & etiam si dispensandus ejus subditus sit extra suam Dioccesim. Ratio est: quia huic potestati dispensandi non opponuntur hæc limitationes: in Diocesi sua: in foro conscientie; siquidem hæc mi-

mitationes tantum opponuntur, & limitant Episcopi potestatem quoad absolutionem à reservatis. Ita Pignatelli. Suarez, Sanchez, Castro-Palauus apud La Croix l. 7. n. 470. Sequitur II. Vi hujus concessionis Episcopos non posse dispensare in irregularitatibus ex defectu provenientibus, nisi iam aliàs in Jure communi hoc ipsis sit concessum, prout ex capit. 1. qui Clerici, vel vocentes possunt in Bigamia similitudinaria dispensare, ad Ordines Sacros, & cum illegiti nis ad Ordines Minores capit. 1. de filiis Presbyterorum. Ita Maffrius citat. numer. 188. & 190. Sequitur III. Episcopos vi hujus concessionis non posse dispensare in irregularitate ex Hæresi orta: cum potestas absolventi ab Hæresi, concessa hic à Concilio, Episcopis censetur revocata per Bullam Cœnæ, & consequenter etiam potestas dispensandi in irregularitate ex Hæresi orta. Ita Maffrius citat. numer. 187. citans Suarez, Toletum, Filliucium, Bonacinam, & Alios. Oppositum tamen plurimi Doctores sustinent, ut probabile, ait Sannig Diss. 3. de Irregularitate q. 4. num. 13. Sequitur IV. Quando Concilium Tridentinum loco cit. concedit Episcopis, dispensare posse cum suis subditis in irregularitatibus, provenientibus ex delictis occultis: nomine occultis delictis in dicta concessionem, juxta Hurtadum, Avilam, Henriquez, Maffrium cit. numer. 183. & Alios, intelligitur id, quod distinguitur à publico, ac proinde occultum dicitur quod quamvis per testes probari possit, non tamen est publicum, quia nec est notorium, nec manifestum, nec famosum, & ratio est: quia, quando non est publicum, cessat scandalum, quod Tridentinum dicta limitatione evitare intendit. Notorium autem dicitur, quod est notum, aut Confessione rei in Judicio, aut sententia Judicis lata, aut evidentiæ facti, quia nimirum evidens est majori parti viciniæ, vel communitatis, in qua decem ad minus habitant. Manifestum verò dicitur, de quo est fama in majori parte viciniæ, vel communitatis à scientibus orta, & deducta: famosum tandem dicitur, quando est fama in majori parte communitatis, non tamen ex certa scientia, sed ex indicis, & præsumptionibus. Quare in præfenti, in hujusmodi dispensationibus, non sumitur occultum, ut aliàs sumi solet, pro eo scilicet, quod non est probabile in Judicio, fed sumitur pro eo, quod non est publicum; quod valde advertendum est, ut notat Caspensis disp. 5. sect. 17. Sequitur V. Episcopos vi dictæ concessionis Tridentini, non posse dispensare in irregularitatibus deductis ad forum contentiosum ut patet ex textu Tridentini. Nomine autem irregularitatis ad forum contentiosum deducta, intelligitur illa, super qua, aut super ejus delicto trahitur quis ad tribunal, quousque ab instantia absolvatur; unde in delicto ad forum contentiosum deducto Episcopi dispensare non possunt, quando delinquens de aliquo delicto accusatus fuit, & nondum in Judicio se purgavit, nec definitivè liberatus fuit; sed tantum, quando delinquens post accusationem se purgavit, aut quando defectu probationis absolutus fuit; tunc enim Episcopi cum eo dispensare possunt. Ita apud Maffrium citat. numer. 182. docent Bonacina, Herincx, Rodriguez, Molina, Sayrus, Suarez, Filliucius, Avila, Sanchez, & plures Alii, quorum ratio est: quia in tali casu cessat ratio deductionis ad forum contentiosum: perinde enim est, ac si delictum non fuisset ad illud deductum, cum accusatus ad suum pristinum statum reductur ante accusationem.

Denique in dicto Decreto Tridentini excipitur irregularitas ex homicidio voluntario proveniens, in qua Episcopi dispensare non possunt; quod sufficienter explicat P. Patrius Sporer tr. 5. Præceptum Decalogi, c. 3. n. 256. & seqq. Unum omittere non possum, quod recentissime docet Joannes Maria Sbogar in sua Theologia Radicali, tractatu 62. Dispensatione, capit. 1. numer. 25. Ubi habet sequentia: Queritur an Episcopus possit dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omnino occulto? Respondeo. Affirmativè, si homicidium est soli homicida notum, & nullis aliis testibus probari possit, ac soli suo Confessario cognitum. Ratio est: quia Concilium Trident. non aufert ab Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio omnino occulto: ergo sicut Episcopi poterant ante dispensare in prædicta irregularitate, id etiam possunt post Concilium Jure communi. Ita Donatus parte 3. tract. 11. quæst. 9. numer. 8. Texeda tom. 2. lib. 3. tractatu 3. Miranda tom. 2. quæst. 8. art. 1. Conclus. 1. Covarruvias in Clem. si furiosus de homicidio 2. parte §. 5. n. 4. Abbas in c. ex tenore, Casaling in privileg. Regular. tract. 5. prop. cum Aliis 13. DD. citat. à Martineo de Moya tract. 5. de censur. q. 2. §. 2. num. 5. ulque ad n. 9. inclusivè. Obijcies ex Trident. Sess. 14. capit. de Reformat. Sess. 24. capit. 6. ubi definitum censetur ex homicidio omnino occulto irregularitatem incurri Papa reservatam; ergo Episcopus non potest in illa dispensare. Respondeo. Supplem. Theol. Decal.

Respondet Texeda cum Magist. Bannez 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 4. Textum Concilii non loqui de homicidio omnino occulto, sed de illo, quod in Judicio probari potest; & Abbas, Alphonsus de Castro, Angelus, Covarruvias, &c. afferunt, quod in irregularitate proveniente ex homicidio omnino occulto, & quod nullis potest testibus probari, neque aliter, quam per proprium Confessarium sciri, posse Episcopum dispensare; proinde textus Concilii intelligendus est de illo homicidio occulto, quod, quamvis actu non sit deductum in Judicium, neque ad forum contentiosum, est tamen ex se probabile, quamvis actu in Judicio Ordinario non sit probatum; non autem de homicidio omnino occulto, de quo in præfenti loquimur, quod probari nullo modo potest. Ita de Moya supra citatus cum Rodriguez tom. 1. q. Regul. quæstiunc. art. 24. Huicque Sbogar citatus.

S. II. Prælati Regulares.

S. Anst. Pius V. Bulla 13. in Bullario Rodriguez hanc à 167 Concilio Tridentino Episcopis concessam dispensandi in irregularitatibus facultatem, de qua supra præced. expressè concessit Generali, & Provincialibus Ordinis Prædicatorum (& per communicationem similibus Prælatibus aliorum Ordinum Mendicantium) imò & Prælatibus Conventualibus, sed cum addita generaliter particula: per seipsum. Ita noster Herincx disp. 6. de censuris, q. 7. n. 194. Sed intellige, respectu suorum subditorum Regularium, non respectu sæcularium. Imò Noster Portel. in dubiis Regularibus. Verbo: Dispensare nu. 8. ait: Possunt Prælati etiam Conventuales dispensare cum suis subditis in irregularitate orta ex homicidio voluntario, si sit occultum, non verò si sit publicum. Compendium Mendicantium, Verbo: Dispensatio §. 24. & ibidem Corduba Annotatione ad eundem §. & Rodriguez. Hoc autem intelligitur de dispensatione ad Ordines non verò ad Prælationes, ut Rodriguez ait. Idem circa dispensationem homicidii tenet Miranda Tom. 2. quæst. 8. art. 10. conclus. 1. Idem Portel. Verbo: Abortus numer. 12. in dubiis Regularibus docet, Prælatos Conventuales, vel Provinciales, posse hanc potestatem dispensandi delegare, & committere uni confessorio subdito, ut hic dispenset in foro conscientie cum delinquire: Sbogar tr. act. 62. numer. 28. docet, posse non tantum Prælatos Regulares Generales, & Provinciales, sed etiam alios Religiosis Prælatos cum suis subditis dispensare, ut sunt Præpositi, Guardiani, Rectores locales &c. in omni irregularitate, ex homicidio voluntario incurfa, dummodò non sit notorium, sed aliquoties occultum, & hoc quidem solum virtute privilegii à Martino V. Priori Monasterii S. Benedicti Vallisoletani concessi, & postea omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monasteriorum participati, ita Miranda referens de verbo ad verbum hanc concessionem vive vocis Oraculo factam dicto Priori, quæ sic sonat: Super omni irregularitate, & in illis casibus, in quibus Papa sibi reservat (morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) valeat dispensare, dum tamen aliquod horum trium non sit notorium, & hoc propter scandalum. Candidus Disquis. 24. art. 61. dub. 8. Joannes de La Cruz, Portel., Leander cum multis aliis penes Dianam p. 3. tract. 2. Resol. 45. Et quando ipsi Sbogar numer. 30. objicitur, hoc privilegium tanquam vive vocis Oraculo concessum esse revocatum per Gregorium XV. & Urbani VIII. Respondet hoc privilegium postea per Bullas speciales fuisse confirmatum à Summis Pontificibus, & consequenter non fuisse revocatum; nam non amplius vive vocis Oraculi vim habet, sed privilegii per Bullam Papæ concessi. Ita Matheus de Moya tract. 5. de Censur. quæst. 3. numer. 1. 2. & 3. citans Dianam part. 9. tract. 7. Resol. 61. Thomam Hurtadum tom. 2. Moral. tract. 12. capit. 2. Rodriguez, Vegam, Bassæum, & Alios. Posset addi, hoc privilegium esse vive vocis Oraculum Authenticum, ut patet ex compendio privilegiorum Casarubios, verbo: Dispensatio §. 24. quæ juxta dicta supra capit. 1. sect. 4. numer. 441. non sunt revocata. Denique die Lunæ post primam Dominicam quadragesimæ singulis annis potest quivis Generalis, vel Provincialis Regularis dispensare in foro conscientie cum suis subditis in omnibus omnino irregularitatibus publicis, & occultis, etiam homicidii voluntarii, Bigamias, & mutilationis, ex indefinita concessionem Pauli III. Bullæ: exponit nobis, data Benedictinis Vallisoleti, in quo privilegio participant omnes Mendicantes. Hæc habetur in Bullario Roderici: Ita Sannig Diss. 3. de Irregularitate, quæst. ult. n. 5. Herincx cit. n. 195. Portel. in dubiis Regularibus V. Dispensare, in additione, ubi nu. 2. addit: hoc privilegium conceditur Reformationi Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus prædicti Ordinis, & proinde conceditur aliis